

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Occulto Dei iudicio inter se diferre principes, subditos, nobiles, ignobiles,
diuites pauperes. Caap. XXXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

bilem, ad collocationem filiarum suarum, ad eleemosynarum distributionem, ad subueniendum patriæ, quidquid labore comparant, conferendum statuant. Non putare mercaturam vituperandam; assert enim multas commoditates vite hominum, reddit etiam homines industrios; & ignauiam atque inertiam morbum ciuitatum, remouet; sed tamen sordida mercatura, & qua calamitate inopum crescit, vituperanda est. Recitat in terdum illa verba Ecclesiastici: Negocians difficile eruitur a peccato. omnem fraudem, mendacium, & dissimulationem e mercatorum animis amouere studeat. Dicat veram mercaturam esse lucrari animas Christo; esse fœnerari Deo, quādoquidem diuinarum omnium largitor censu plū reddit, & etiam vitam eternam donat.

Occulto Dei iudicio inter se differre principes, subditos, nobiles, ignobiles, diuites, pauperes.

Cap. XXXVII.

QUARTA restat distinctio auditorum explicada, sumpta à fortuna, quam, licet imperitum vulgus cacam, instabilem & temerariam dicat; nos tamen hæc omnia nomina rejicientes, quidquid fortunæ tribuitur, occultum & sapiens Dei iudicium nominamus: quo fit, ut alij reges sint, alij subditi; alij potentes, alij infirmi; alij nobiles, ignobiles alij; alij diuites, alij pauperes, ut iubeat sèpè q̄, quibus satius esset parere, præsint qui potestate abutuntur; iaceant ignoti, qui magnis virtutibus sunt prædicti; sint multarum diuinarum hæredes homines cupidisci,

simi, vsum diuinarum ignorantes, ad administrationem familiæ succedant ij, qui tutoribus egerent; quidam habitent ruri, qui ad danda consilia, & ad regendos alios essent aptissimi. Qua de re agens, splendidis verbis demonstrabit, Deum paterno imperio regere hunc mundū; in eius sapientia et paterna gubernatione acquiescedum: omnes dici posse reges, si seipso nouerint regere; omnes potentes, quia diuina gratia adiuti, possunt in sanctis virtutibus proficere; omnes nobiles, quia ad imaginem & similitudinem Dei effecti, fratres Christi, eius preciosissimo sanguine redempti, ad cælestem hæreditatem sunt vocati; omnes diuites, quia participes diuinarum, & thesaurorum suorum fecit nos Christus cali et terra rex, & bonorum omnium Dominus.

Quia ratione clericis agendum sit cum principibus, & subditis.

Cap. XXXVIII.

AD MODVM raro, & fortassis nunquam clerici, quibus scribimus, coram regibus & principibus sermonem habebunt. Si quando verò id illis accideret, eos monemus, ut turpisimum adulatioonis vitium vitent: coram Regem non laudent, neque principes; id enim non decet ministros Christi; nec etiam in magna populi frequentia audebunt ipsi eos reprehendere, non quidem villo metu, aut vlla spe, sed nè mouere seditionem videatur, & populi auram aucupari. Si inciderit locus, explicans aliquod euangelium, aut epistolam B. Pauli, regias virtutes proponat, religionem, iustitiam, clementiam, fortitudinem, temperantiam, paterno amore subditos completi,